

















1684.

1. Schlanhovius, Johannes Stephanus : De austregis.
2. Schlanhovius, Johannes Stephanus : De votis collatione
3. Werlin, Joh. Henricus : De arrestis.

1685

1. Gersten, Johannesustus : De jure competente in causis matrimonialibus.
2. Hertius, Joh. Nicolaus : Sabora secunda parociniam jures Germanicarum.
3. Mollenbecius, Berth. Ludovicus : De jure principis in personam civis.
4. Schreiber, Theophilus : De legato ad pias causas.

1686.

1. Hertius, Joh. Nicolaus : De consultationibus, legibus et judiciis in specialibus Germaniae rebus publicis.  
2. Exempt. 1727 & 1735.

2. Hertius, Johen Nicolaus : De lytro . . .
3. Fetzen, Lucretius : Disputatio . . . dicti Tobi  
Cap. XXXVIII n. 31. continens ad ad vov. prosodiacam  
et accentuam.



1686

4. Nitzschius, Fridericus: De utilitate imosia.
5. Nitzschius, Gregorius: De declaratione sententiae  
civili ex l. 4. § 1. de appellat.
6. Thilen, Nicolaus: De iudicio revisorio.
7. Thilenius, Nicolaus: De monopolis ad Tit. 18:  
reformat. politicae de anno 1548.
8. Mars. Mann, Johannes Antonius Stephanus: De syndicis

1687.

1. Faustius, Johannes Carolus: De immuniatone litis
2. Grimm, Simon: De profanatione rei sacrae . . .
3. Liebe, Paulus: De actionum realium et ac perso.  
narium convenientia et differentia
4. Mollenbecius, Benh. Ludovicus: Privilegium de  
non appellando.
5. Mollenbecius, Benh. Ludovicus: De mercatura nautica



6. Mothenbecius, Bernhardus Ludovicus: De investitura  
abusiva.

7. Mothenbecius, Bernhardus Ludovicus: De anno lectus;  
Frankfurt.

8. Rhomensis, Joh. Adamus: De apertura testamentorum.

9. Schuermann, Albertus: De contracta averlendi  
periculi.

1668.

1. Fluegel, Johannes Wilhelmus: Testamentum Turcae  
in christiana captivitate conditum

2. Graff, Georgius Laurentius: De refundendis tutori  
impensis ad l. sumtus 3. Codicis de administr. tutor  
vel. curat. etc.

3. Hamckenius, Philippus Ludovicus: De potestate  
magistratus prolietici circa sacra.



4. Sondershausen, Joh. Conrad: De iudicio parvo  
curiae Vom Mann-Gericht.

3. Weirich, Joh. Christoph: De additione hereditatis



J. J.

XL. 4

SATURA SECUNDA 5

PAROEMIARUM  
JURIS GERMANI-  
CARUM. 1685, 2

Quam

PRÆSIDE

JOH. NICOLAO HERTIO

J. U. Licent. ejusdemque Prof. extraord.

Politicae ordinario

*defendendam suscipiet*

ANTHON. GUNTHER. Schuchardt /

Francohus. Thuring.

die 19 Febr. 1685.



GIESSÆ HASSORUM,

Typis HENNINGI MÜLLERI.



IN  
LITUR N. SECUNDA  
PAROEMIARUM  
LITUR SECUNDA  
CAPIT.

19. 10. 1911







f. f.

Parœmia Prima.

Dein Fund / mein Halb.

§. I.



Requens est hæc acclamatio inter itineris socios, alterutro eorum occupante, quod alter prius conspexit, ut proverbii indolem induisse videatur non tantum apud nos, sed & Romanos. Quemadmodum ex illo Phædri 5. fab. 6. intelligere licet.

*Invenit calvus forte in trivio pectinem,  
Accessit alter equè defectus pilis,*

HEIA, inquit, COMMUNE QUOD CUNQ;  
EST LUCRI.

II. De quo antequam dicamus, nonnulla erunt prælibanda de inventione in universum. Est hæc vel rerum nullius, de quibus v. §. 18. & §. 40. 7. de R. D. vel rerum amissarum sive deperditarum. Ad quas l. 43. §. 4. de Furtis pertinet. *Qui alienum quid jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit cujus sit sive ignoravit, nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus sit ignoret.* conf. l. 3. de incend. ruin. naufrag. Seneca ep. 120. Quod si tamen ignoretur Dominus, nec proposito libello, ut fieri moris erat apud Romanos, vel post publicam præconis vocem quiscquam compareat, non dubito quin & hujusmodi res acquirantur occupatione. Bene Grotius *ex domino*, inquit, *nemo ius habet præter dominum. Non esse autem & non apparere tantundem valent quoad eum cui non apparet.* 2. de I. B. & P. 10. §. 11. quam ut plena sit acquisitio, accedere usucapionem oporteat. Quemadmodum recte docet D. Tabor *Rac.* 2. §. 36. Neque  
A verò,



verò legibus nituntur, etsi piè moneant, qui hujusmodi res in  
 usus alimoniamque pauperum conferri volunt. Nam *avib.*  
*omnes peregrini C. commun. de success.* quam allegant, de peregrino,  
 qui intestatus decessit, loquitur cujus bona deficiente herede  
 legitimo in usus pauperum, cedere debent, non autem hospiti ac-  
 quiri, ne occasio ei detur violandi jura hospitalitatis vel testandi  
 libertatem auferendi. Ut pluribus differit Fr. Sarmientus *l. 6.*  
*Select. Interpr. c. 10.* adde Dom. à Soto *l. 5. de just. quest. 3. art. 3.*

III. Enimverò ut repertæ res acquirantur, opus est ap-  
 prehensione & occupatione. Quoniam initium possessionis  
 est corporis ad corpus adjunctio, qualis circa res mobiles maxi-  
 mè fit manibus, circa res soli pedibus. ubi rectè Grotius philo-  
 sophatur *l. 2. c. 8. §. 6. conf. l. 1. §. 1. l. 3. pr. & §. seqq. l. 8. de acquir.*  
*vel mitt. possess.* quâ in re nobilissima est decisio vetus in causâ  
 Andriorum & Chalcidensium apud Plutarchum in *Questionibus*  
*Græcis.* Utrisque in Thraciam profectis novarum sedium quæ-  
 rendarum causâ renunciatum est, Barbaros Acanthum reliquisse.  
 Speculatores bini, quorum Andrius alter, alter Chalcidensis ele-  
 cti, fugâ & solitudine satis animadversâ, cœpere cursu contendere,  
 uter urbem pro derelicto habitam prior occupando acquireret.  
 Chalcidensis, cum vinceret pernicitate, Andrius hastam ejacula-  
 tus portis infixit. Hic jaculo, ille corpore prævenisse exclamat.  
 Dissensione hinc ortâ, arbitri asciscuntur Erythræi, Samii, ac  
 Parii. Vicere Andrii numero sententiarum. Nam pro iis cen-  
 fuerunt Samii & Erythræi, pro Chalcidensibus autem Parii: Ra-  
 tiones utrinque exhibet Petr. Ærodius *l. 5. Pandect. rerum judica.*  
*tit. 21. c. 1.* Quare nec oculis rem notasse aut prius vidisse suffi-  
 cit, sed qui prior apprehendit & occupavit habebit. Ut pleriq;  
 Interpretes, quorum nomina cumulavit Harpprechtus, *ad §. 18.*  
*7. de rerum divis. tradiderunt.* Neque negotium nobis faceffit *l. 2.*  
*§. 21. de Acquir. vel mitt. possess.* cujus hæc sunt verba: *Non est*  
*corpore & actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis &*  
*affectu.* Nam loquitur de acquirenda possessione intercedente al-  
 terius traditione. Puta, si quis rem mihi traditurus est, & in meo  
 conspectu poni jubeo, licet enim corpore meo non contingam,  
 tamen solo aspectu possessionem acquiri, ex sententia Pauli di-  
 cendum



cendum est. At alia est ratio occupationis earum rerum, quæ ad neminem spectant, adeoque actu potius corporeo quam visu & contestatione in dominium transeunt. Adde Bachov. *ad Trent. Vol. 2. D. 20. §. 2. lit. H.*

*Parœmia II.*

**Ein Wort ein Wort / ein Mann  
ein Mann.**

§. I. Elegans hæc Germanorum parœmia est, schemate, quam *ῥητορικὴν* Rhetores vocant, dictorum pactorumque constantiam præcipiens. Nimirum hæc laus fuit propria majorum nostrorum datam semel fidem omnibus rebus antehabere, nec minus verè quam magnificè Veteres Germani coram Senatu Romano exclamant apud Tacitum *XIII. Annal. § 4. NULLOS MORTALIUM ARMIS AUT FIDE ANTE GERMANOS ESSE.* Monet igitur hic locus, ut de obligatione pactorum paulo accuratius differamus.

§. II. Sunt qui existimant promissa per se vim obligandi non habere, sed eam accipere à lege civili certa forma modoque. Sedei sententiæ consensus Gentium repugnat. Verum sanè est simplicem asseverationem de eo quod quis facturus sit debere quidem ex eo animo proficisci, qui tum temporis id velit facere, quod se facturum dicat, at non item ex eo teneri eum qui dicit in proposito perseverare, quia voluntas humana habet jus sua decreta mutandi, neque id jus solo sui respectu sibi potest auferre. At in promissione plus est. Habet enim promissio simul juris translationem. Sicut enim dominus rei corporalis eam potest in alium transferre signo aliquo voluntatis, ita etiam jus ipsum, quod quis habet suos actus aut res, potest in alium transferri in solidum aut pro parte definita. Et quia tali facto jus aliquod in alterum transit, ideo voluntas jam ultra se honestè mutare non potest, quia nemo honestè aut velle aut facere contra jus alteri quæsitum. Hinc votorum, quæ Deo fiunt, & promissorum inter homines vis oritur. Quibus observatis proclive erit responde-



dere argumentis Connani dissentientis, quem eo nomine jam refutarunt Sutholt. *Diss.* 12. ad 7. §. 12. & imprimis H. Grotius *l.* 2. c. 11. §. 1. & seqq. ubi tres gradus loquendi de rebus futuris, quæ nostræ sunt potestatis aut fore putantur, explicat secutus in eo Dominicum à Soto *l.* 7. de *Iust.* & *iure quest.* 2. art. 1.

§. III. Romani pacta nuda à non nudis distinxerunt, ad dentes insuper civili quodam & novo invento stipulationem, ex qua certâ formâ modoq; ac proinde meditatò concepta dabatur actio. Hac autem destituebantur nuda pacta, neque nisi ad exceptionem proficiebant, uti contra Mæstertium egregiè astruxit noster quondam Cancellarius D. Tabor in *P. El.* p. 151. & seqq. Quod nuper vir doctissimus nova quadam ratione ita explicandum censuit: *quasi post tot constituta conventionum legitimarum genera pacta apud Romanos nulla fuerint, vel quæ concipiebantur non potuerit ostendi, quin statim in speciem contractuum inciderint, de his ergo frustra Prætores daturos fuisse formulas in iudiciis observandas. Addit. Se constanter asseveraturum pacti nudi, prout Auctores iuris Romani definiiverunt, exemplum sibi hætenus non potuisse demonstrari.* Sed nos minimè existimamus difficile, ut exempla & non pauca proferantur: Pertinent huc omnia pacta de dando vel quidè faciendo ut rursus quid detur vel fiat, quæ contractus innominatos præcedere solent, retinent enim vim & naturam pactorum, etiamsi ad contractum constituendū comparata sint. Unde est, quod in contractibus innominatis utrinq; pœnitere liceat, antequam quid datum vel factum sit arg. *l.* 7. §. 2. de *rerum permut.* l. 3. *C. eod.* quod etiam valere, si unus jam dederit vel fecerit tametsi alter ad implendum sit paratus, cum aliis rectè docet D. Struv. *Ex.* 25. §. 14. Rursus placita inter absentes stipulatio non sunt; requirunt enim leges ad eam verba præcisè & quidem congrua eodemque contextu prolata. *l.* 1. *pr.* & §. 7. *l.* 137. *pr. de V. O.* neque tamen semper in formam aliorum contractuum commigrant, quoniam causam sive negotium aliquod in se continere queant, non receptum in civitatem Romam ob infrequentiam nec ad actionem confirmatum, ceu ex quo contractus aestimantur, vid. Tabor *P. Elem.* p. 167. Sic si profecturus Romam, cum eo qui Neapolim iturus erat conveniam, ut iter simul inter-

inter-



intendamus, nudum erit pactum, nec Romano jure ad agendum efficax. Adde, Jctos otiosè dixisse, dari exceptionem ex pactis, si hæc nullibi reperiuntur.

§. IV. Canonum jure à civili Romanorum recessum putatur à plerisque. Afferunt primum *cap. 1. de pactis*. Verùm Concilij Carthaginensis primi caput duodecimum, unde hic Canon fluxit, satis apertè monstrat, actum fuisse non de pacto nudo sed transactione aliqua. Verba hæc sunt dicti Concilij. *Summariùm*

*Ut pacta inter Episcopos inita custodiantur.*

*Antigonus Episcopus Madurenus dixit: Gravem injuriam patior, & credo dolere Sanctitatem vestram contumeliam meam & computare injuriam. Optantius cum se representaret, pactum mecum habuit divisimus plebem. Manuscriptionis nostra tenentur epitaccia. Contra hoc placitum circuit plebes mihi attributas & usurpat populos, ut illum Patrem me vitricum nominent. Gratus Episcopus dixit: Factum hoc dolendum est, ut in se alliciat populorum imperitorum animos contra disciplinam, contra pacis placita. Vides hic, ut jam eruditè docuit Illustris D. Eybenius *diff. 2. de factor. c. 2. §. 11. & sequ.* fuisse inter Episcopos de finibus territorij ecclesiastici controversiam, (verb. *litum de plebibus*) hanc excepisse partitionem novam (quam pacem heic appellat Gratus Episcopus) scripto consignatam, & in tabulas (hæc enim sunt epitaccia sive pittacia) relatum. Deinde adducunt *c. 3. ejusdem tituli*. Sed hujus genuinam speciem ex epistolis Gregorii M. restituit D. Zieglerus *l. 3. ad Lancellot. tit. 3. §. 2.* cætera confutavit Busius *ad l. 1. D. de pactis n. 5. & seqq.**

§. V. Moribus nostris, quod & parcemia nostra testatur, ad simplicitatem juris gentium deventum est, ita ut etiam ex pacto nudo de re certa animo se obligandi à sciente & volente inito detur actio. Nusquam hodie audiuntur hujusmodi verba. Dare spondes? dare spondeo. Dabis? dabo. Nec verbis duntaxat hodie obligationes novantur, acceptilationes fiunt, fidejussores constituuntur. Neque præsentiam contrahentium ista requirunt. Vid Gregor. Lopez. *l. 1. Animadv. cap. 9. Wesenb. ad tit. pact. n. 9. Christinaeus Vol. 1. Dec. Belgic. 91. Grotius Isagog. l. 3. c. 1. vers. maer Gelyck de Duytschen. Freher.*



**1. parerg. 18.** cum Carpzovio & aliis D. Struv. *Ex. 6. §. 15.* Mevius *p. V. Dec. 407.* Exceptio est in pactis contractum preparatoris, quæ fiunt de futuris contractibus ineundis. Eo ipso enim dum partes paciscuntur de contractu ineundo & obligatione per futurum constituenda simul sensisse videntur, quod eo pacto efficaciter obligari nolint, & hoc in contractibus innominatis ferme præsumitur. Vid. Struv. *d. l. §. 15. & 32.* D. Maurit. *p. 1. Conf. Chil. 13. n. 8. & 9.* H. Pistor. *obs. 167.* idem Jure Württembergico constitutum docet D. Lauterb. *Diss. de arrhâ §. 104.* quemadmodum & Jure Civitatis Francofurtensis. de quo vid. Ref. Francof. *p. 2. tit. 22. §. 1.*

§. VI. Cæterum Dd. aliqui tradunt, licet verba concepta hodie non requirantur, firmiora tamen esse pacta quæ hæc habent. Sed & verbum promitto, inter præsentis interpositum etiam vim & effectum stipulationis perhibetur obtinere. Post Afflictum, Mascardum, & alios à se citatos Josephus de Sesse *tom. 2. Dec. Arragon. 182. n. 12. & 19. cum seqq.* add. D. Tabor *Barbos. locupl. voce promissio, ax. 3.* Maximè, si manu datâ vel sublata fuerit promissio facta, *wann mit handgegebener Treue einander versprochen / und Handtastung gethan worden /* manus enim obligationis est symbolum ait Cujac. *ad l. 10. C. de inut. stipul.* non tantum apud Germanos, de quibus vid. omnino Hering *c. 11. de fidej. n. 104. 165. & seqq.* sed & apud Persas vid. Grot. *l. 2. de fur. B. & P. cap. 13. §. 22. & in not.* cujusmodi promissionem jurejurando comparari tradit Coler. *de process. Execut. p. 1. c. 10. n. 284.*

§. VII. Antequam hinc abeam, non incongruens reor, uno vel altero exemplo confirmare, quam sanctè adhuc seris temporibus fides apud Germanos fuerit custodita. Primum est Stephani Gumbenbergii, qui suorum cuneos prægressus, cum in Henricum Sveinkerstium pari ardore præcurrentem infestâ hasta invehere, equum eius forte confodit. Prostratum autem amulum, ne à succedentibus opprimeretur, hortatus est, ut in suum equum ascenderet, exceptumque tergo perduxit in castra. Eundem deinde ad curanda vulnera redire domum patitur, sola fide in pignus relicta. Prorsus ut appareret in publico odio privatis tantum de



de virtute & gloria fuisse certamen. Vix amicitia hodie sanctius  
 coluntur, quam tunc bella. Nec alter fefellit promissa. Eodem  
 enim cultu, quo militaverat, servatori suo captivum se rursus stitit.  
 Adeo etiam inter armatos sancta & incorrupta fides erat illo seculo,  
 quam nunc malitia temporis in pace proscripsit. Externarum enim  
 gentium vitia sic afflixere Germaniam, ut suis moribus vix relin-  
 quatur. Quod gravissimum Nicolai Burgundi est iudicium, hoc  
 narrantis l. 1. Hist. Bavar. ad A. 1316. Ejusdem fide & alterum  
 subjungo exemplum de Henrico Archiduce Austriae, qui trans-  
 actione facta, à Bohemia Rege domum remissus, cum pacta conventa  
 servare non posset, rursus captivitati se restituit. d. 1. ad A. 1322.  
 Adde similem huic parœmiam apud Suedos, explicatam à Loc-  
 cenia D. 10. Synops. qu. 1.

Parœmia III.

Danichts ist / hat der Kaysar sein  
 Recht verlohren.

§. I. Passim laudant hoc adagium. vid. Thom. Freigium  
 in paratit. de dolo axiom. 2. D. Tabor Rac. Crim. ad l. 12. D. de  
 furt. D. Mevius p. 6. Dec. 8. Klock. de contrib. c. 11. n. 61. Ejus-  
 dem sententiæ est l. 6. de Dolo. Is nullam videtur actionem ha-  
 bere, cui propter inopiam adversarii inanis est actio. adde l. 17. de  
 petit. heredit.

§. II. Huic contrarium est brocardicum Dd. Qui non habet  
 in are luat in corpore, cujus sententiam eleganter expressit Gun-  
 therus l. 8. Ligurin. extremo.

Cujus fortuna laborans

Non potis est auro venales solvere noxas,  
 Arctatur vinclis &c. Verum id vel absurdum esse, vel in solis  
 causis criminum locum habere dicit Scipio Gentilis l. 3. de iurisd.  
 c. 11. atq; ita loqui leges, quæ eam in rem allegari soleant. Rotun-  
 dè Ulpianus l. 1. §. ult. D. de Pœn. Generaliter placet in Legibus  
 publicorum iudiciorum vel privatorum criminum, qui extra ordi-  
 nem cognoscunt Præfetti vel Præsides, ut eis, qui pœnam pecunia-  
 riam egentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant. l. si  
 quis



quis 7. §. 3. Jurisdic. l. ult. D. de in jus vocand. l. 9. de incend. ruin. naufrag. l. 4. C. de serv. fugitiv. c. finem litibus §. de dolo & contum. Seneca in suasoriis extr. Et Ciceroni, ut oportuit, de corio Cestii satisfecit. Plautus in Penulo. Collorem solvam jam omnibus. Cassiodorus l. 9. variopr. ep. 2. Aut decem librarum auri dispendio feriat, aut, si facultas vindictæ non sufficit, per fustuarum supplicia laceretur, & reddat debitum pœnis, qui non potuit compensare pecuniis. Idem l. 10. Var. ep. 28. Triginta librarum auri multatâ feriat. Quod si ad hoc damnum idoneus non potuerit inveniri, corporali supplicio pœnam luat qui non potuerit in supradicta percussione sufficere. Verum quæritur: An idem obtineat, si pœna ex delictis per civiles actiones exigatur, veluti actione furti, bonorum raptorum, injuriarum? quod negant cum Covaruvia Thesaurus dec. 182. n. 3. & seqq. Bocer. cl. ult. Diss. 36. §. 3. C. A. ad lit. D. de cession. bonor. §. 5. cessione bonorum eos elabi posse putantes. Sed Bachovius in not. ad Wesenb. n. 3. sine hæsitatione affirmat. add. D. Roth in Dissert. de tergo subsidiar. §. 39. & sequ. cum iis, quos profert, auctoribus. D. Tabor in not. ad Coll. Arg. d. l. distinguendum retur: an debitor cedat bonis ante condemnationem, an post eam, & quidem antecedendo nihil agi, quia etiamnum sit ex delicto debitor, cui L. Julia non prospexerit, nec dignum habuerit, qui molestiâ liberaretur; at postquam condemnatio publicata fuit, atque ita ex judicato debitum pecuniarium factum cessionem non videri denegandam. Nos affirmantibus calculum nostrum adjicimus, idque firmamus potissimum ex fine pœnarum & scopo, qui triplex est: ut emendetur is qui peccavit; ut satisfiat patienti, ne posthac tale quid patiat, aut ab eodem aut ab aliis; denique, ut alii exemplo deterreantur. Quos fines tribus vocabulis appellant Græci & distinguunt. Νεφεσίαν ἀποπλήρωσιν & ὁδὸν εὐαγγελίας. Neuter verò, si negans assertio vera esset, ullâ parte evalesceret. Præterea Jctus in l. si quis 35. D. de injur. simpliciter pronuntiat: Si quis injuriam atrocem fecerit, qui contemnere injuriarum judicium possit ob infamiam suam & egestatem, Prator acriter exsequi hanc rem debet, & eos, qui injuriam fecerunt, coercere. Adde l. ob fœnus 49. D. de administrat. tutor. O. Crim. art. 157. art. 216. Illud ad



ad exemplum de damno injuriâ dato, quo post Covarruvium C. A. d. l. utitur, addimus; videndum esse, num damnum ex vero an ex quasi delicto sive culpâ proveniat (Errant enim complures, qui semper verum esse delictum arbitrantur, quos rectè confutavit D. Tabor *P. El. 253.*) & posteriori quidem casu, imprimis si culpa vel levi vel levissimâ damnum datum est, prædictam regulam non valere. Ad temperamentum verò distinctionis quod attinet, vix id sustineri posse videtur. Nam creditor unum remedium executivum intentans aliud, donec sibi satisfiat, intentare non prohibetur, ut brocardicum Jctorum habet apud D. Mevium *de arrest. c. 15. n. 45.* est autem species solutionis, cum tergum pro crumenâ transigit. Adde alias exceptiones ad hanc regulam pertinentes apud Barbosam *Locuplet. voce Luere.*

§. III. Nostra igitur parcemia valet in debitis ex contractu. His enim beneficium cessionis indulserunt Leges Romanæ. Quanquam nonnullis in locis obæratî debitores in carcerem publicum in den *Schuldthurn* condantur; isque lege publicâ Imperij nostri illis decernitur, qui nullo fortunæ ludibrio, sed solo suo vitio aut dolo bonis sunt delapsi. *Ord. Pol. A. 1577. tit. 23.* adde C. A. *ad tit. D. de re judicat. §. 102. 103.* Alibi, mancipatio viget seu addictio in servitutem, vel ad manus creditoris, seu ad operas creditori præstandas. Vid. Mevium *ad l. i. Jur. Lubec. lit. 3. art. 1. D. Struv. Ex. 44. §. 23.* Quin & olim in Romano Imperio moris fuisse videtur, inopes debitores creditoribus addici in temporariam servitutem, nam Imperator in *l. si quis unquam C. Theodos. de Annon. civit. Si quis, inquit, etiam pauperrimus erit cogetur exhibere operariam servitutem.* Et ubi vis locorum reduci in usum optat Caspar Barthius *libro singulari de debitore inope creditori addicendo.*

§. IV. Cæterum licet propter inopiam adversarii seu ob defectum bonorum inanis sit actio, tamen eo objecto non est statim sistenda executio. Vid. Mevium *p. §. Dec. 8.*

B

Parce-



*Parœmia IV.*

**Einem gescheneckten Gaul soll man  
nicht ins Maul sehen.**

§. I. Applicat hanc Parœmiam D. Franzke Jctus præstantissimus *tit. de Edilit. edict. n. 47. 48. ad Edilitium edictum quod in rebus donatis locum non invenit, ne donator liberalitatis suæ poenam patiatur.* ut differit Modestinus *l. 62. D. ad Edilit. edict.* qui exceptionem subdit: *Quod donator de dolo se obligare debeat soleatve, ne quod benigne contulerit, fraudis consilio revocet.* Licet autem parœmia nostra de equo donato (id enim Gaul notat, vox quæ descendit à caballo assumtâ traduce Gallicâ cheval) concepta sit, tamen non est dubitandum, quin ad alias quoque res pertineat.

§. II. Aliud est in datione in solutum; quippe quæ instar emtionis obrinet, ut Bachovius *2. ad Trentl. D. 2. §. 1. lit. C.* rectè tradit. Sed quid de locatione conductione habendum? Et in hac æquè Edilitio edicto locum esse docuit Cujacius *l. 12. Obs. 38.* sequitur Mevius *p. 2. Dec. 138.* Sed manifesta est *l. 63. de Edilit. edict.* cujus exemplum Cujacius sibi, ut solet, contrarius *ad l. 1. §. 2. Comment. de Justit. & Jure* referendum dicit *ad l. non omnium D. de LL.* non quod ratio aliqua non adfuerit, sed quia nobis ignorata. v. *Busius add. l. 63. & D. Strauch. Diss. prior. ad Edilit. edict. c. 5. §. 2. & 3.*

*Parœmia V.*

**Wer da will selig sterben / der laß sein  
Gut dem rechten Erben.**

§. I. Rhythmi hi, qui à nostratibus ad formam parœmiæ jactari consueverunt, piè beateque morituros testamentis ut abstineant monent. Quod ex antiquissimo majorum nostrorum instituto forte adhuc superat. Testatur Tacitus *de Germanor. morib.*



*morib. cap. 20. §. 6. Heredes successoresq; suos cuique liberos fuisse  
 & nullum testamentum. Si liberi non essent, proximum gradum  
 in possessione fratres patruos avunculos tenuisse. Idem de regno  
 Daciae, Germanicis gentibus inhabitatae, refertur c. 2. X. de Con-  
 suetud. Duo igitur occasione hujus paræmiæ considerari me-  
 rentur. Primum, sintne ex usu civitatum bene constitutarum testa-  
 menta; alterum, si permiffa sunt, num animo tranquillo nec con-  
 scientiâ reluctantè exclusis propinquis ordinari queant.*

§. II. Prima quæstio est *πολιτικὴ*, nec tamen aliena ab hoc  
 loco quandoquidem viam struit ad sequentem. Igitur sic existi-  
 mamus. In civitate optimâ testandi facultatem si non abolen-  
 dam certe accidendam esse. *Primum* enim civium originario-  
 rum præcipua ibi ratio habenda est, quorum opes vel subruun-  
 tur vel evertuntur nimîa testandi licentiâ: *deinde*, eâdem pau-  
 peribus sæpenumero ægrè fieri, quando opulenti frequentius  
 coluntur donis quam pauperes, & *pauperem ipsi propinqui odere.*  
*juxta verissimam Salomonis gnomen. Prov. XIV, 20. Porro, ubi*  
*nullus testamentorum est usus absunt orbitatis prætia, quod*  
*de Germanis Tacitus testatur, tacitè perstringens Romanos,*  
*apud quos ea erant effusissima. Cicero Paradox. 5. An eo-*  
*rum servitus dubia est, qui cupiditate peculij nullam conditio-*  
*nem recusant dura servitutis? hereditatis spes quid iniquitatis in-*  
*serviundo non suscepit? quem nutum locupletis senis non observat?*  
*Loquitur ad voluntatem; quicquid denunciatum est facit: assen-*  
*tatur, assidet, munerat, miratur. Quid horum est liberi? quid*  
*deniq; non servi inertis? ubi repetita negativâ mavult legere*  
*Thom. Gathackerus in not. ad Anton. Philos. l. 6. §. 59. quid non*  
*deniq; servi, non inertis? Horatius serm. l. 2. sat. 5.*

— — — *Turdus*

*Sive aliud privum dabitur tibi, de volet illuc  
 Res ubi magna nitet, domino sene; dulcia poma.  
 Et quoscunq; refert cultus tibi fundus honores,  
 Ante Larem gustet, venerabilior Lare, dives.  
 Si quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus  
 Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi  
 Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.*

B 2

Magna



*Magna minorq; foro si res certabitur olim,  
 Vivat uter locuples sine gnatis, illius esto  
 Defensor, formâ civem causaq; priorem  
 Sperne, domi signatus erit fœcundaq; conjux.  
 Quinte, puta, aut Publi (gaudent pronomine molles  
 Auricula) tibi me virtus tua fecit amicum.  
 Jus anceps novi, causas defendere possum.  
 Eripiet qui vis oculos citius mihi, quam te  
 Contemtum casâ nuce pauperes. Hac mea cura est  
 Ne quid tu perdas, neu sis jocus. Ire domum atq;  
 Pelliculam curare jube. Sis cognitor ipse  
 Persta atque obdura.*

Vide quæ sequuntur, & his gemina apud Plautum in *militē* 3.  
 Fœdiora sunt quæ Hieronymus ad *Nepot.* etiam de Clericis  
 quibusdam memorat. Audio præterea in *senes* & *anus* absque  
 liberis quorundam turpe servitium. Ipsi apponunt matulam, ob-  
 sident lectum, purulentiam stomachi & phlegmatapulmonis ma-  
 nu propria suscipiunt. Pavent ad introitum medici: trementi-  
 busque labiis, an commodius habeat, sciscitantur. Et si paulum se-  
 nex vegetior fuerit, periclitantur, simulataq; letitia mens intrin-  
 secus avara torquetur. Timent enim ne perdant ministerium.  
 Postremò experientia docet, testamentis incendi aliq̄ue odia ac  
 similitates inter præteritos & institutos vel legatarios. Add.  
 Piccart. ad §. *Polit. Aristot.* 9. Quas ob causas in divinâ He-  
 bræorum Republica successio in bona immobilia tantum *ἑὸς*  
*ἢ ἑὸς* sive legitima fuit, ut adeo testamenta parum frequentaren-  
 tur. Vide *Numer. XXVII, 8. 9.* conf. *Zepper. Leg. Mosaic. Læ-  
 Mancin. l. X. Collat. Leg. Mosaic. c. 47. n. 4.* *Selden. de success. in  
 bon. Hebræe. c. 24.* Et hæ causæ aliæque valent quoque in oli-  
 garchiis & democratiis, quibus interitum ab illa immodicâ te-  
 standi licentiâ accersitum observavit Aristoteles 2. *Pol. 7. & 9.*  
 cui junge Bodinum §. *de rep. c. 2.* ubi alia adducit exempla. Quod  
 Civitates nonnullæ in Germaniâ liberæ, quæ polieratico utun-  
 tur imperio, animadverterunt, usum testamentorum prudentis-  
 simè coarctantes. In regnis fateor vel principatibus hujus gene-  
 ris legibus non adeo esse opus, quin tamen legibus feudalibus, quæ  
 aliena-



alienationes vetant, Nobilitas stet & floreat, prudentibus non est dubium.

§. III. Alterum *οὐκ ἔμμε* magis ad nos pertinet, de quo præter Moralistas Molinam *de just. & iure tract. 2. disp. 135.* Card. Lugon. *disp. 24. de just. & iure sect. 1.* & alios egit imprimis D. Tabor *Part. Element. p. 68. & seq. & p. 81.* Nos præmittimus velut certum, jus naturale non obstat testamentis, quippe quæ nihil sunt aliud, quam alienationes in eventum mortis; jam si prædium vel rem aliam simpliciter alienare, aut servitutem, quæ post mortem perduret, eidem imponere licet, quid vetabit traditionem rei ad illud usque tempus suspendi, quo dominus eam non amplius utitur. Pro certo & hoc habemus, discrimen inter illos, quos natura nobis destinat, heredes esse. Egregiè Aristoteles *8. Ethic. 14. Parentes amant liberos quasi ex se quiddam sint; liberi autem parentes, quasi ex illis quippiam ipsi sint. Fratres autem & sorores se invicem diligunt, quasi ex iisdem nati sint.* Proutigitur vinculum amoris & necessitudinis vel arctius vel laxius fuerit, ita variabit quoque relinquendi bona obligatio. De liberis Paulus in *l. 7. de bon. damnator. Ratio naturalis, inquit, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successione eos vocando, propter quod ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de causis submoveri ab ea successione possunt.* Neque secus se res habet in parentibus, his enim plenè nunquam gratia referri potest, ut & Aristoteli *d. l.* & Philoni in *Decalogo* notatum, cujus hæc verba sunt insignia: *Quomodo ab aliquibus genitus eos vicissim generare possit?* In fratribus tanta necessitudo non est, quippe quæ solo fere ad communes genitores respectu fulcitur & incitatur; ut ut & hunc sine causâ habere in super, notam ingratitudinis ex dictamine rectæ rationis commereatur, nam si parentibus mortuis videtur bene fieri, dum eorum causâ bene fit liberis, quemadmodum sapienter dixit Michael Ephesius *ad l. 5. Nicomachic. Aristot. è contrario dicendum est, malefacere parentibus liberos, qui nihil conferunt in suos fratres ab illis prognatos, maximè quando egentes sunt & necessariis vitæ præsidii destituuntur.* Verum hæc suam habent latitudinem: Nam & merita amici & indigentia eò valere possunt,



sunt, ut ei quid elargiri laudabile, quandoque etiam necessarium sit. Hinc jura Romana quod relinquendum est liberis, parentibus, fratribus, ad legitimam portionem redegerunt & in reliquo liberè testari permiserunt. Quanquam parœmia nostra in animo vix excusare videatur, qui sine gravi causâ extraneos necessariis suis posthabent, aut quasi naturâ heredibus. Quod admitto in liberis, parentibus, & fratribus quique his proximi sunt ob adductas rationes: Sed in remotioribus consanguineis, quoniam longius receditur ab illo communium progenitorum respectu tenuiorque fit obligatio, aliud utique dixerim.

*Parœmia VI.*

**Jenâher dem Sip / jenâher dem Erbe.**

§. I. Utitur hac parœmia post Manzium D. Tabor *P. E.* p. 125. est autem sententia: Proximiorum gradu præferri cæteris in hæreditate. quæ regula etiam fundamentum habet in jure civili Romanorum, *v. l. filius 42. §. 2. de bon. libert. l. 6. C. commun. de succession.* & duntaxat valet in linea transversâ, si neque fratres defuncti neque fratrum liberi cum illis concurrentes inveniantur. In reliquis enim nullo repræsentationis juri locus est, adeoq; sola gradus proximitas attenditur. In cujus tamen æstimatione minus exercitatos sæpe errare non imprudenter monet D. Brunnem. *ad d. l. 6. C. commun. de success.*

§. II. Hi ergo sive fœminæ sive masculi, tam cognati quam agnati, tam ex uno latere quam utrinque conjuncti sine differentia bonorum, unde provenerint, cernunt hereditatem & in capita succedunt. D. Struvius *Ex. 38. §. 35.* Unde cum aliquando quæreretur de successione defuncti compatrielis, quando concurrebant compatrieles tam ex utroque quam uno latere conjuncti? existimantibus nonnullis hos ab illis prorsus excludi per *Nov. 118. c. 5.* rectius incluta Facultas Juridica hujus Academiæ, ut & Marpurgensis censuerunt, insuper habita duplicitate vinculi, omnes in capita admittendos esse, per *l. 2. §. 2. de*



de suis & legit. hered. l. 1. §. ult. si pars hered. petat. l. pen. in fin. C. de legitim. hered. quæ leges jure novellarum disertè non correctæ, meritò ad decisionem causarum adhibentur. Ut dicitur in dem Solmischen Landrecht p. 2. tit. 27. §. 10. Harprecht. ad pr. 7. de hered. qua ab intestat. defer. n. 423. & seqq.

§. III. Hinc etiam dubites de sententia D. Carpzov. p. 3. Const. 18. Def. 26. & D. Struv. d. l. in fin. affirmantium, si persona aliqua duplici ratione defuncto conjuncta sit, veluti sit patrue-  
lis & consanguineus neptis ex avunculo magno & neptis ex ami-  
ta magna, duas eum hereditatis partes accipere. (Wann e. g.  
zwey Brüder zwey Schwestern hätten zur Ehe gehabt / und  
des einen Bruders Kind verstürbe / bekäme des andern Bru-  
ders Kind zwey und des dritten Bruders Kind nur ein Theil.)  
Nam si in hoc collateralium ordine causa proxima & adæquata  
non est vinculi ex sanguine qualitas, sed quantitas seu graduum  
æqualis distantia parque ratio, secundum allegatas ante leges.  
geminatum sanguinis vinculum quid hoc loco proficere queat,  
non video. Vide imprimis contra illam Carpzovii sententiam dis-  
ferentes Ill. D. Eyben. *Disqu. 12. ad instit. obs. ult.* ubi alia non  
infirmiora argumenta subjicit. D. Brunnem. *ad l. 40. de legat. 3.*  
(qua lege pro se utitur D. Carpzovius) ubi memorat pro nostra  
sententia Jctos Francofurtenses pronuntiasse.

§. IV. Certe ùm in regnis parœmia nostra an valeat, non  
adeo dictu est facile. Quemadmodum discere possumus ex  
controversia successionis Lusitaniæ, cujus summam ex integris  
voluminibus contractam exhibet Camdenus p. 3. *Hist. Elisabe-  
thæ ad A. 1581. p. 337.*

### Parœmia VII.

## Der ältere theilt / der jüngere wehlt.

§. I. *Major natu fratrum dividit, minor eligit.* Quæ  
regula inter Saxones usita ta ortum traxit ex jure Saxonico Landr.  
l. 3. art. 29. v. D. Struv. *Ex. 35. §. II.* quemquam ab hoc olim  
apud



apud multos populos obtinuerit, ut ostendit Cujac. *l. 13. obs. 24.*  
Ratio autem ejus esse hæc videtur, ut major tanquam prudentior  
dividat, minor, ne per imprudentiam, defraudetur, eligat.

§. II. Neq; tamen hoc ex jure naturæ est, quoniam æquali  
inter fratres successionis jus, modū & partitionis similē efflagitat.  
Non stringit exemplum Abrahami *Gen. XIII, 9.* Abrahamus enim  
cessit Lotho propria sponte studio pacis & concordiae, ut ipse *d. l.*  
indicat. Ex vinculo juris naturalis oportuisset Lothum ut nepo-  
tem cedere patri suo reverentiæ causa, sed Abraham altercatio-  
nis vitandæ causa hoc jure cessit nepoti. Accedit exemplum hoc  
videri alienius, cum Abraham & Loth nullam dividerint heredi-  
tatem. D. Loccenius *Diss. 9. Synopsi iur. sect. quest. 9.*

§. III. Sed nec Canonum jure fundamentum habet, ut ut  
Canonistæ aliter existiment. Nam *c. 1. de paroch. & alien. paroch.*  
quod unum allegant, agit tantum de Episcopo ob hæresin ante  
remoto & postea ad unitatem Ecclesiæ reverso, quem Pontifex  
vult admitti in partem prioris sui Episcopatus jam alteri Episcopo  
dati, sed hac lege, ut ille, qui diutius in Episcopatu fuit, dividat al-  
ter eligat. Ita Vinnius *l. 1. quest. 35.*

*Parœmia VIII.*

**Noth leidt kein Gebott. vel Noth  
hat kein Gesetz.**

§. I. *In c. 5. in fin. X. de Consuetud.* ita effertur: *Necessitas  
non habet legem.* Seneca pater *l. 4. controu. 27.* *Necessitas, inquit,  
magnum humane imbecillitatis patrocinium, omnem legem frangit,  
quicquid coegit defendit.* Similia loca protulit D. Freinshem. *ad l.*  
*4. Curt. c. 3. n. 24* Necessitatem reddere licitum, quod alias de  
jure non est licitum, est *in c. quod non est 4. X. de Reg. jur.*

§. II. Necessitas duplex est alia simplex, alia hypothetica,  
quam Cicero *cum adjunctione* vocat, & triplicem esse dicit *honestatis*  
( seu juris naturalis ) *incolumitatis & commoditatis.* *l. 2. de  
invent. 41.* De simplici nihil erit, quod multa dicamus, *cum eam  
nulla ratione lenire possimus.* ut Cicero ibidem loquitur. Sed nec  
de



de necessitate commoditatis, si cum honestate seu lege naturali contendatur, dubitatio est; utique verò de illâ quæ incolumitatis dicitur. Verùm heic indagandi labore nos sublevavit D. Puffendorfius l. 2. de iure naturali & Gent. c. 6. ubi plerosque casus accuratissimè expendit. Eidem assentimur in quæstione, an quis in vitæ periculo constitutus sine vitio rem alienam surripiat, neganti. Nam naturale jus duplex est, unum simpliciter tale, alterum quod voluntatis humanæ actum consequitur, v. g. introductionem dominiorum rei alienæ abstinencia. v. Grotium l. 1. de fur. B. & Pac. c. 1. §. 10. Et in hoc quidem humanæ voluntatis sententia est consideranda. Non est autem probabile, dominiorum distinctionem tam rigidâ & inhumana lege esse factam, ut ne extrema quidem necessitas excepta intelligi debeat. Adde D. Fritschium Dissert. inaugural, de presidio necessitatis contra legem.

Parcemia IX.

Gottes Allmacht ist allezeit  
excipirt.

Fufius explicat hujus parcemiæ sententiam Seneca IV. de benef. c. 39. Ad cœnam, quia promisi, ibo, etiam si frigus erit. Surgam ad sponsalia quia promisi, quamvis non concoxerim, sed non si febricitavero sponsum descendam, quia promisi: sed non si spondere in incertum iubebis, si fisco obligabis. Subest inquam tacita exceptio, si potero, si debebo, si hæc ita erunt. Effice ut idem status sit cum exigitur, qui fuit cum promitterem. Destituere levitas non erit, si aliquid intervenit novi. Quid miraris, cum conditio promittentis mutata sit mutatum esse consilium. Eadem mihi omnia presta, & idem sum. Vadimoniam promittimus; tamen deseritur. Non in omnes datur actio, deserentem vis major excusat.

add c. 35. Ex quo apparet parcemiæ hujus vim latius patere. Verùm ubi Deß Blæ (ut Gajus l. 35. §. vis major D. de locat. vim majorem rectissimè vocat) non intervenit, sed aliud quippiam, omnino respiciendum erit ad actus, de quo quæritur, naturam. ut

C

bene



bene docet Grotius *l. 2. de iure B. & P. c. 16. §. 27. & in not.* Exemplum parcemiæ nostræ præbeat David, qui Sauli iurejurando se obstrinxerat, non perditurum ejus posteritatem *1. Sam. XXIV. 22.* & tamen septem filios Saulis strangulandos tradidit Gibeonitis *2. Sam. XXI.* quoniam in ipso non erat, vindicem Dei manum adstringere.

*Parcemia X.*

**Wo kein Kläger ist / da ist kein Richter.**

§. I. Idem exprimere videtur vulgaris regula: *Neminem sine accusatore damnandum esse*: De qua intrepidè Francisc. Duarenus *l. 1. Anno. Disp. c. 38.* pronuntiat, à vulgo interpretum confictam, nec apud ullum juris auctorem extare. Et fanè Ulpianus, quem ejus regulæ auctorem citant, *in l. rescripto 6. §. si quis 2. D. de muner. & honor.* non prohibet, quominus citra accusationem facinorosus puniatur (id enim publicæ utilitati maximè adversarium esset, nemine fortassis accusare volente) sed antequam sit reus delatus, interim eum ab honoribus arceri vetat. *conf. l. 17. eod. tit. l. 1. C. de reis postul. X.* Quin etiam jubentur magistratus latrones & alios quietem publicam turbantes conquirere, & severissimè in eos animadvertere. *l. 1. §. si quis de offic. præfect. urb. l. 4. D. ad L. Jul. peculat. l. 3. l. 3. D. de offic. Præsid. l. 7. C. de custod. reorum.* Et in *cap. 10. de purgat. Canonic.* est. *Nec illud etiam improbamus, quod licet nullus contra eam accusator legitimus appareret, ex officio tamen (famâ publica deferente) voluisti plenius inquirere veritatem.* Verum, ais, quomodo iudex actoris simul partibus defungi potest? Responsio est facilis, actoris locum subire interdum famam publicam, aliquando denunciationem partis læsæ aut socii criminis confessionem provocare iudicem ad inquirendum, magistratum præterea non propriam sed reip. persequi injuriam, cessante ulla privata vindictæ vel odii alicujus conjectura. vid, Bachov. *2. ad Trentler. 31. §. 1. lit. E.*

§. II.



§. II. Verùm hæc ad causas publicas & criminum spectant. In reliquis parcemia nostra locum accipit, eique respondet fere Brocardicum Doctorum: *Judicem non impertire officium suum nisi imploratum.* l. 4. §. 8. de damn. infecto, v. Barbosa Locupletat. voc. *Judex. axiom. 5.* Unde inferunt Dd. in rei vindicatione judicem fructuum ante litem contestatam perceptorum rationem non habere, nisi specialiter petantur. v. D. Struv. *Ex. 11. §. 25.* Dixi ante litem contestatam: etenim post hanc judicis officio universos fructus restituendos, licet ab actore non fuerint petiti, satis liquet ex l. *Et ex diverso 35. §. 1. de Rei Vindicat.* junge Busium & *Judici post acceptum judicium omnium rerum officium incumbit, quacumq; in judicio versantur.* ut est in l. 25. §. 8. de *edilit. edict.*

§. III. Notandum tamen, esse nonnullas alias causas, in quibus sponte suâ officium exerit judex, v. g. pupillorum v. l. 3. §. *præterea D. de suspect. tutor.* miserabilium personarum l. *nec quicquam 9. §. 5. de offic. Procons. l. 28. §. 5. C. de ministr. tutor.* Ad dunt Dd. causas pias. Barbosa, & quos profert, ad l. 2. C. *si mancipium ita venierit ne prostit.* argumento hujus legis. Tiraquel, de *privileg. piæ caus. privil. 152.*

### Parcemia XI.

## Die Gedancken seynd Zoll frey.

§. I. Cicero pro Milone ita extulit: *Cogitationes sunt libera.* JCrus in l. 18. D. de pæn. *Cogitationis pœnam nemo meretur.* Hæc parcemia ut intelligatur, ambiguum vocis cogitationisevolvendum erit. Nimirum ea vel nudam mentis agitationem notat, uel latius & *παροργισμῶς* ( ut Ulpianus alibi loquitur ) ad illos animi motus pertinet, qui jam ad actus externos sunt digressi. Et in hac notione loquitur l. 5. ibi, *cogitatio.* §. 4. C. ad L. *Jul. Majest. Can. quisquis 9. ibi, quisquis cum militibus scelus majestatis cogitaverit.* *Distinct. 1. de pœnit. l. 1. §. 3. de servo corrupt.* Eadem latitudine interdum vox voluntatis usurpatur. de quo v. Tabor de *Conatu c. 2. §. 3. Et seqq.*

§. II. In prima significatione cogitationis diversos ponebant



bant gradus Stoici. Ex quorum disciplinâ differentem audire libet Hieronymum ad c. 5. Matth. vers. 28. *Inter πᾶσι*, inquit, *ἡ ὀρέξις*, hoc est, *inter passionem & propassionem hoc interest; quod passio reputatur in vitium, propassio licet vitii culpam habeat, non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, & anima eius fuerit titillata, hic propassione percussus est. Si verò consenserit, & de cogitatione affectum fecerit, de propassione transiit ad passionem.* *Προπαθήσεια* deniq, ubi morbus invaluerit & affectus radices adeo altas egerit nec ex animo avelli facile queat, nec avelli à re desideratâ, cui *ὀρέξις* quodammodo videtur. adde can. homicidium 28. dist. 1. de pœnit. can. qui viderit 32. quest. 5. Verùm hæc ad tribunal animi pertinent.

§. III. In foro externo pœntia nostra & vulgata regula, cogitationis pœnam mereri neminem, audienda est. Neque refert an cogitata casu aliquo, puta per confessionem subsequutam, ad notitiam aliorum pervenerint; quia *humana natura* (aut civili societati) congruum non est, ut ex actibus merè internis jus aut obligatio inter homines nascatur. ut Grotius ait l. 2. de 7. B. c. 20. §. 18. quam ob causam Bodinus Senatum Parisiensem incusat, quod nobilem Normannum, qui Monacho Franciscano confessus fuerat, se voluntatem Regis (Francisci I.) occidendi habuisse, nihil tamen, quod impiæ voluntatis ipsum pœnituisse, ausum esse, tanquam majestatis reum damnarit. l. 4. de rep. c. 7. add. l. 2. c. 5. ubi secus existimat.

§. IV. Cœterum ubi latius vocabulum cogitationis sumitur, ut jam cœpta est ad externos actus procedere, dicendum adhuc regulariter: conatum malefaciendi extra pœnam esse. l. 53. in fin. de Verb. Signific. quo referenda est etiã l. 1. D. de furt. ubi J. C. negans, *solam cogitationem furti faciendi furem facere*, non de cogitatione strictè sic dicta intelligendus est, cum in hoc nulla vertèretur dubitatio (furtum enim sine contrectatione non fit l. 1 §. ult. de furt.) sed de illa quæ jam ad effectum aliquem saltem communis deliberationis consilii & decreti est producta, ex qua effectus contrectationis sequatur. conf. l. si quis 52. §. 19. de furt. Adde l. item apud I., §. 10. de iniuriis l. 1. §. ult. quod quisq, jur. in ali. l. 3. D. de his qui not. infam. Non obstat l. 14. ad L. Cornel.



*Cornel. de sicariis* ubi rescriptum Hadriani Imper. ex Callistrato refertur: *In maleficiis voluntatem spectari non exitum.* nam *to non* in hac lege ( ut alibi, v. *Briffon. um voce non.* ) significat *non tantum.* ut eleg. explicavit D. Tabor *d. dissert. c. 3. §. 6. & seqq.* ubi etiam §. 13. *& seqq.* subjungit exceptiones ad superiorem regulam pertinentes.

*Parœmia XII.*

**Ein Nachbar ist dem andern ein  
Brand schuldig.**

§. I. Hac post alios utitur Mollerus *4. semest. 31. D. Wissenb. Diss. 36. ad 7. §. 25.* Sententia est, *damnum incendio illatum à vicino esse sarcendum.* Quod juri civili congruit, v. *l. 9. D. de incend. ruin. naufrag. l. capitalium 28 §. II. de Pœnis.* adeo ut *damnum levissimâ etiam culpa dari sufficiat. l. 44. D. ad Leg. Aquil.* nec tantum committendo, sed & omittendo, quanquam hac in re nonnulli dissentiant, & hos inter *Zœsius ad tit. de Leg. Aquil. n. 6. D. Brunnem. ad d. l. 44. ad L. Aquil. n. 1. & ad l. 27. eiusd. tit. n. 11. & 12.* Ad quos conciliandos cum cæteris forte non inutilis est distinctio *C. A. ad L. Aquil. §. 5.* An arguatur sola cessatio & merum non factum, e. g. cum fructuarius agrum non coluit, an v. *cessationem hanc præcesserit factum aliquod, e. g. si quis signem non custodivit.* ut hoc, non illo casu levissima culpa castiganda sit. Et certè ipse D. Brunnemannus *d. l.* ait: *In custodiendo igne summam diligentiam etiam ne quid omittatur necessariam esse. conf. l. si servus 27. §. 9 l. 30 §. 3. ad L. Aquil. add. D. Tabor Racem Crim. ad tit. si famil. furt. feciss. dicatur §. 19.*

§. II. Ecquis verò heic probabit, an actor, qui *damnum tulit, an verò contra illum erit præsumtio, in cujus ædibus incendium fuit excitatum?* Hoc statuerunt Scabini Lipsienses apud D. Carpzovium *prax. crim. p. 1. quest. 39. n. 58.* adde Vinnium *l. 1. quest. 58.* Illud *Academiæ Wittenbergensis, Lipsiensis, Jenensis, Jcti. v. D. Strauch. Diss. 19. §. II.* ubi Auctores profert, *Quorum sententia nobis potior videtur. nam licet in l. 3. §. 1. de*



*offic. Praefect. vigil.* dicatur: *Inhabitantium plerunq̄ culpā incendium evenire solerè. & in l. si vendita II. D. de pericul. & commod. rei vendit. Incendium sine culpa fieri non posse.* tamen hæc præsumptio generalior est, quam ut ex ea quis possit condemnari, quia incendium contingere potest sine culpā patrisfamilias, quemadmodum liquet ex *d. l. II. ubi postquam dixerat J. C. ut: incendium sine culpa fieri non posse,* (quod sine omni exceptione non accipiendum docent *l. qui insulam 30. in fin. D. Locat. l. in rebus 5. §. 4. Commod. l. 9. §. 3. l. 15. §. 3. locat. l. 22. de negot. gest. §. 3. 7. de Empt. & vendit.* quid si cœlitus ignis immittatur? ) addit: *incendium sine patrisfamilias culpa fieri posse.* Utrumque, inquit Cujacius *l. 17. obs. 29.* est verum, hoc specialiter, illud generaliter; quia etsi fiat incendium sine culpā patrisfamilias non tamen sine aliorum culpā, ideo certa persona & demonstranda & probanda, cujus culpā incendium exortum est. ut tradunt Gailius, Matth. de Afflictis, Virgilius, Magonius, apud Joh. à Sande *l. 3. tit. 6. def. 9.* Nec paterfamilias de culpā & facto suorum famulorum regulariter tenetur *d. l. si vendita II.* nisi illi particulari officio præsent, ut coquinæ vel stabulo, & in officio culpam vel delictum admiserint. *l. servus 27. §. 9. D. ad L. Aquil. l. 1. §. ult. D. naut. caupon. stab.* quia ratione deputationis præsumitur certa persona. Pregiz, Rauchbart. & Joh. à Sande *d. l.* Cæterum superior præsumptio eò saltem valet, ut judex contra inhabitatores inquirere possit, eosque urgere, auctorem incendiū ut nominent. Deinde eadem qui in domo solus fuit oneratur. v. D. Brunnem, *ad l. 3. de offic. praefect. vigil.*

*Parœmia XIII.*

**Die Ladung bringt das Geleit  
mit.**

Hoc vulgo dici solere actor est Heigius *pag. 2. quest. 22. n. 39.* add. Dan. Moller. *l. 2. Semestr. c. 7.* quo docemur: Citationem tacitè eundi & redeundi in se securitatem continere. Verùm de ipsa Saxonîâ, cui natales suos debere videtur, an ruta sit parœ-



parœmia hæc dubitat Colerus *de process. Execut. p. 4. c. 7. n. 236.*  
 non & Carpzov. *p. 3. Quest. Crimin. 112. n. 16. & seqq.* Certè ali-  
 bi potius existimatur aliud Germanorum adagium: *Es ist besser in  
 den Reysern / als in den Eysen*: Quare qui in his sunt partibus  
 rectius salutis suæ consulunt, si literas comitatus prius impetrent,  
 quam in iudicio compareant. Leges enim loci non tuti exceptio-  
 nem porrigunt. *v. c. 4. X ut lit. non contest. c. 4. de fide instrument.*  
*c. 35. de offic. & potest. iudic. deleg.* ubi tamen iudicis erit dispicere,  
 utrum legitimis iudiciis fulta sit hæc allegatio, aut non intersit al-  
 terius, antequam ipse literas huiusmodi impertiat. *v. Rutger.  
 Ruland. p. 1. de commiss. l. 3. c. 12. Mev. p. 3. Dec. 169.*

*Parœmia XIV.*

**Der Person Freund / der Sachen  
 Feind.**

§. I. Sententia est. *Posse amicitiam geri salva lite sive con-  
 troversa.* Cujus occasione duæ quæstiones considerari meren-  
 tur. Prima est: An actio injuriarum familiaritate, vel interceden-  
 tibus honoris amicitiaëque symbolis (qualia sunt mutua salutatio,  
 ludus, capitis nudatio, apud nonnullas gentes osculum, apud  
 Germanos propinatio) tollatur? Certum est dissimulatione  
 aboleri injuriam. §. 5. *f. de injur. l. 11. §. 7. eod.* ex quo sequitur  
 signa hæc non invalidum remissæ injuriæ argumentum præbere.  
 Putat tamen Bachovius *ad d. §. 5. f.* hoc non procedere, si fami-  
 liaritatis actus non proprio motu, sed occasione ab alio data, &  
 quasi ex necessitate & honestatis gratia exercentur. Quod in-  
 terdum admitti potest. de quo responsum Jctorum Jenensium  
 memorat. *Richter reg. 2. n. 71.* Verum in exemplo, quo Bachovius  
 utitur, duorum adversariorum, qui communi intersunt convivio,  
 non video tantam familiaritatis necessitatem, & solennes sunt a-  
 pud nos contestationes propinantis: *Ich will dir's auff Hoff-  
 recht bringen / & huic respondentis: Ich will es auff Hoffrecht  
 bescheid thun.* neque solus accubitus inter multos firmum pla-  
 cati animi est indicium. Magis luculenta est illorum sententia,  
 qui



qui existimant, post litem moram & subsecutam litem contestationem hujusmodi familiaritatis actibus injuriarum actionem non interire. post Farinacium & Mascardum Berlichius p. 5. concl. 70. n. 18. seq. & Fibig. Exercit. 12. Semidec. quest. 2. ubi JCtos Jenenses ita pronuntiasse tradit. Atque hoc conveniens est admodum parœmiæ nostræ, cujus sententia potissimum ad lites in judicium deductas pertinet, quasi tunc missis odiis inimicitis que privatis arbitrio judicis causam suam commisisse videantur.

§. II. Huic vicina est altera quæstio: An usu sacræ synæxeos dissimulata censeatur injuria? quod rectè negavit Senatus Frisiorum apud Joh. à Sande l. 5. tit 8 def. 12. At Anth. Matthæi l. 47. de Crimin. tit. 4. c. 7. §. 15. separandum putat officium magistratus à pietate atque officio actoris. Magistratus officium esse, delictis, si probentur, pœnam irrogare. At pio actori convenire, ut exploret conscientiam, cogitetque quam parum cum professione congruat injuriarum actio. Enimverò si Christianis licet in jus de injuria sibi illata ire, spiritu sc. mansueto, non irritato, aut vindictam spirante, ut docent Theologi, nullam video causam, quamobrem post sacræ cœnæ usum non idem liceat. rectè hoc & fufius explicat D. Huberus ad tit. 7. de injur. num. 6.

*Parœmia XV.*

**Wo einer sein Gut find/ da spricht  
ers an.**

§. I. Idem significatur, sed cum circumlocutione in l. 25. de obl. & Act. In rem actio est, per quam rem nostram, qua ab alio possidetur, petimus, & semper adversus eum est, qui rem possidet. Paucis eloquar. Rei vindicatio rem ubiq; sequitur. adde H. Grotium l. 2. de jur. bell. c. 10. §. 7.

§. II. Hoc adeo verum est, ut nec pretium pro re evicta solvi sit necesse. l. si mancipium 23. C. de rei vindicat. l. super emti 16. C. de evict. Quin et si possessor justum pretium offerat, audiendus non est. v. Mev. p. 2. Dec. 271. nam, quare alter re sua carere



carere cogatur; nulla causa subest naturaliter justa, non consensus ipsius, non meritum, non compensatio. Potuit etiam emtor sibi cavere. Eam ob causam Imperatores in *l. 2. C. de furtis* rescribunt: *Curate cautius negotiari, ne non tantum in damna huiusmodi sed etiam in criminis suspicionem incidatis.* conf. *l. 5. in calce C. eod. tit.* Ubi non possum non insignem Francorum legem ex *l. 6. cap. 357.* in medium afferre, ut Majorum nostrorum æquitas & circumspectio præ ipsis Romanis eluceat. Sanxit illa: *Ut nulli ingenuo universam rem liceat comparare de incognito homine, nisi certè fideiussorem adhibeat, cui credi possit, ut excusatio ignorantie auferatur. Si aliter fecerit sistat hominem intra tempus à iudice præfixum. Quem si non potuerit invenire, approbet se aut sacramento aut testibus innocentem, quod eum furem nescierit, & quod apud eum agnoscitur accepta pretii medietate restituat, atq; ambo datis invicem sacramentis promittant, quod furem fideliter querant. Quod si omnino furem invenire nequiverint, rem quantum emta est domino rei emtor ex integritate reformet.* Verum, quæ limitationes hujus doctrinæ sint, prolixè jam & eruditè à compluribus est traditum. v. Franzk. 2. *resolut.* 9. Carpzov. 2. *quest. crimin.* 87. n. 54. & seqq. Finckelth. *obs.* 56. Richter, *Dec. Jen.* 96. C. A. de *Rei vindicat.* §. 59.

§. III. Ex eodem fonte oriri dicit Grotius *d. l.* quod ab Ulpiano est proditum, qui rem alienam invenit, eum ita ad eam domino reddendam teneri, ut *ἐὐπέσσει*, hoc est præmium inventionis petere non possit. *l. 43. §. 9. de furt.* Et tamen hujus legis argumento non ineptè videntur concludere, qui repertorem retentione uti posse concedunt, donec honorarium sibi aliquod præbeatur. v. Tabor, *Racem Crim.* 2. §. 36.

§. IV. Cæterum si res non extet, elegantissima est quæstio, quatenus qui bonâ fide eam alienavit teneatur? Sunt, qui hunc ad totius, quod accepit, pretii restitutionem adstringendum arbitrantur. Pappus *l. 3. de jure non scripto c. 44. n. 8.* Berlichius, Pingizer, & alii apud D. Struv. *Ex. II. §. 13. initio.* Verum ratio præcipua, qua utuntur, pretium nempe loco rei succedere, in rei vindicatione falsa est, v. *l. 48. §. fin. de furt.* & tantum invenit locum in judiciis universalibus. v. Barbosa *Locupletat. Voce pretium*



*rium axiom. 4.* Contra alii tantundem volunt restitui, quantum venditor factus est locupletior. C. A. ad tit. de furt. §. 27. n. 1. D. SERV. d. l. §. quos profert. Carpzov. p. 4. const. 39. def. 9. conf. Walther. de metat. c. 13. §. 99. p. 156. Richter. dict. decis. n. 160. D. Tabor. in Benedictis cap. 4. quæ sententia & naturali maximè & civili juri est consentanea. *Naturali*, quoniam rebus non extantibus humano generi placuit, ut si tu ex re mea factus es locupletior, me rem non habente, in tantum tenearis, in quantum factus es locupletior; quia quatenus es ex meo lucratus eo plus habes, cum ego minus habeam: introducta autem sunt dominia ad servandam æqualitatem, in eo scilicet ut quisque suum haberet. ut eleganter loquitur H. Grotius d. l. §. 2. conf. l. 3. c. 10. §. 6. n. 2. *Civili*, quod conditionem videtur concedere. nam ita Africanus l. 23. de reb. credit. Si eum, inquit, servum qui tibi legatus sit, quasi mihi legatum possederim, & vendiderim: mortuo eo posse te mihi pretium condicere, Julianus ait: quasi ex re tua locupletior factus sim. At qualis hæc conditio? Cujacius tract. 2. ad Africanum in explicatione hujus legis. *sine causa* esse dicit. rectè hæc enim datur, ubi res vel ex non iusta causa ad quem pervenit, vel redit ad non justam causam. ut est in l. 1. §. 3. de condict. sine causa. Unde facile est confutatu argumentum D. Franzkii l. 2. resol. 9. n. 125. §. seqq. contendentis, ne quidem pretium, quæ venditor locupletior factus, restituendum, quoniam dominus nulla actione experiri queat, non personali, neque enim obligatione ex contractu vel delicto aut quasi obstrictum: non etiam reali, quia rem non possideat, neque dolo possidere desierit. Responderi enim potest actiones interdum ex generali quadam æquitate à lege civili animatâ proficisci, ut optimè docet & exemplis illustrat D. Tabor. Part. Elem. p. 169.

*Parœmia XVI.*

Getreuer Herz / getreuer Knecht.  
Vel Treu Herz / treu Knecht.

§. I. Hoc verbum nemini non rebellium subditorum in

ore



ore esse testem habemus Arnifæum l. 1. de jur. majest. cap. 6. §. 2.  
 Dispiciemus igitur de verâ ejus sententiâ. Fundamenti loco vul-  
 gatum illud esse videtur: *Fidem frangenti fides non est servanda.*  
 Quoniam, ut eleganter dicit Grotius l. 3. de Jur. Bell. cap. 21. §. II.  
*Capita conventionis insunt conventioni per modum conditionis,*  
 proinde si prior alter non implevit, quod ex suâ parte implere te-  
 nebatur, nulla fit obligatio quasi conditionis defectu. conf. l. s.  
*convenerit* 14. D. pro socio, ubi Ulpianus ait: *Non tenebitur pro*  
*socio qui ideo renunciavit, quia conditio quadam, qua societas erat*  
*inita, ei non præstatur.* l. 5. D. de lege commissor. v. Barbosa Lo-  
 cuplet. verb. fides axiom. 9.

§. II. Videamus igitur, utrum inter summos imperantes  
 & subditos parœmiæ locus sit. Quod negat Arnifæus d. l. contra  
 Brutum & alios, negant idem, qui ne quidem adversus immanem  
 sævitiam summi imperantis afflicto & pressio malis populo insurge-  
 re licitum putant. v. D. Osiandr. ad H. Grot. 4. §. II. Quod  
 profecto non concedent, qui norunt, ex pactione mutuam inter  
 eos qui regunt & reguntur fidem intercedere. Ergo nihil abru-  
 ptè heic definiendum, sed variæ rerump. figuræ diligenter animo  
 versandæ erunt. Sunt enim resp. vel primi ordinis ut civiles, vel  
 secundæ classis seu irregulares, ut heriles, mixtæ, aut quocunque  
 alio nomine appellentur, (quædam enim harum nomen adhuc  
 quærunt suum.) Pro qua diversitate variè quoque respo nden-  
 dum erit. Verum destinatam hoc operam desiderat, quam  
 post alios *in elementis juris publici universalis* cum curâ suscepit  
 Præses meus.

§. III. Cæterum usus hujus parœmiæ inter Dominum &  
 Vasallum est manifestus, nam sicut hic illi ita ille huic obligantur.  
 Unde est & aliud ejusdem sententiæ proverbium: *Höld Herr/  
 höldt Knecht.* Mynsinger. dec. II. respons. 6. n. 2. & seq. Wesenb.  
 conf. 9. n. 3. Egit de hac obligatione & nexu, singulari libello ver-  
 n: culâ lingua diligenter conscripto, Phil. Knipschildus quem de  
 parœmia hac videtis *quest. 1. n. 7. & 8. seqq.*

D 2

Parœ-



*Parœmia XVII.*

**Wer auff Gnade dient / soll mit  
Barmhertzigkeit belohnt werden.**

Recitat hanc D. Stypmannus *de salar. clericor. cap. 13. n. 53.*  
& confirmat ex jure Saxonico Landr. l. 1. art. 22. & Lubecens. l. 3.  
tit. 8. art. 7. Sententia est. *Qui gratia alterius vel propitia volunta-*  
*tis contemplatu ministeria prestat, dono, quale misericordia vel beni-*  
*gnitas exigit, donandum esse.* Unde Illustr. D. Eybenius observ.  
ad l. 3. Instit. p. 146. & in salariis Professorum & Parochorum  
Stypmannus d. l. n. 111. inferunt: incertum non vitare salarii pro-  
missionem, sed peti hoc nihilominus posse, v. g. in formulis: fe-  
res non leve præmium si rem meam bene gesseris, plenè tibi retri-  
buam, providebo tibi de salario, non me senties ingratum: Ich  
will ihm danckbar seyn / ich will ihm geben was billich ist / oder  
daß er damit könne friedlich seyn. Sunt tamen alii, qui profus  
contrarium sentiunt. Brunnen. ad l. 18. C. mandat. Perez. ad tit.  
C. mandat. n. 1. D. Lauterb. de palmar. advocat. §. 39. Nobis  
prior sententia placet, sed cum temperamento Jacobi Gothofre-  
di *de salar. c. 2. n. 3.* quoties sc. arbitrio promittentis totum relictum  
non est. Etenim si in alterius voluntatem totum conferatur, est  
quidem gratitudinis debitum & gratiæ reponendæ jus, sed im-  
perfectum & ut Seneca alibi loquitur, extra publicas tabulas.  
Et hoc bellè parœmia nostra confirmat.

*Parœmia XVIII.*

**Ehren-Wort binden nicht.**

Interpretem hujus elegantem damus Ulpianum, qui in l. 19.  
§. 3. de *Ædilit. Edict.* ait: *Ea solum promissa admittenda sunt, qui-*  
*cunque sic dicuntur, ut prestentur, non ut jactentur.* Usus hoc  
habet insignem in comi salutatione sive compellatione, & effusis  
titulis, v. g. getreuer / gehorsamer / unterthäniger / quippe, quæ jus  
alteri non pariunt, nisi circumstantiæ aliud ostendant. Vid.  
Knipschild. de *Civit. Imper. l. 1. c. 82. & seqq.* & quos pro-  
fert. Tantùm.

*DEO laus, honor, gloria.*





**C**ui nunc sacrificas cultum, *Schucharte*, libellum,  
Illa dabit posthâc præmia larga, *Themis*.

*Ita Prænobili Dn. Schucharto, Commensali atque  
Auditori suo dilectissimo gratu-  
latur*

**NICOLAUS THILEN**, Jur. Prof.  
Ord. & h.t. Fac. Jur. Decanus.

**T**unc juvat innumeros scire atq; evolvere casus,  
*Si facienda facis, si fugienda fugis.*

**T**unc juvat innumeras scire atq; evolvere leges,  
*Judex cum factus justitiam sequeris,*

*Munera spernis, nec gratia flectit amici,*

*Te justum justus diligit ipse Deus:*

*Vincere sic poteris Plutonem infestaq; tela,*

*Atq; animam læta reddere morte DEO.*

*Hisce pereximium Dominum Respondentem, Ami-  
cum suum singularem alloquitur, & de pri-  
mitiis studii juris gratulatur*

**Gregorius Zisler, J. U. Lic,**

**D 3**

**Tra-**



**T**ramite dum fausto scandis, Schucharte, cathedram,  
Defendens juris pro-verbia, laudo conatum,  
Pergito sic solers studiis incumbere, Patri  
Dilecto acceptum facies magnum, Tibi Phœbus  
Munera, crede mihi, Te non indigna, reponet.

Friedbergshausen  
Cal. Febr. A.  
1685.

Hæc cognatò suo per dilecto Dn. Anth. Günth.  
Schucharto, cum voto felicissimi cursus stu-  
diorum adjicere volebat

E. G. Jüngst / V. G.

---

**Q**uid juvat, excelsis clarum natalibus ortum,  
Quis ducat, docto sit genitore fatus?  
Nî simul & calcans vestigia pulchra Parentum,  
Artibus eximiis excolat hic animum.  
Optime Convictor, celebris Tua pagina cunctis  
Comprobat, hæc animo Te reputasse Tuo.  
Rem facis egregiam! succedat, quisque movemur,  
Ex voto, Summus propositumque beet.  
Omne quo fausto conscendens pulpita, magnum  
Omnibus exhibeas sedulitatis opus.  
Digna que Te maneat sic tandem præmia, Gentis  
Atque Tuæ crescat gloria, crescat honor.

*Ita feliciter applaudunt*

Convictores.

F I N I S.



ULB Halle  
006 570 356

3




W 1A











B.I.G.

Farbkarte #13

J. J. *XLI.*  
*49.*  
*5/*  
**SECUNDA**  
**MIARUM**  
**GERMANI-**  
**RUM. 1685, 2**

*31*  
*16/*

Quam  
*ÆSIDE*  
**LAO HERTIO**  
idemque Prof. extraord.  
cæ ordinario  
*lendam suscipiet*  
**INTHER. Schuchardt /**  
ohus. Thuring.  
*Febr. 1685.*



**Æ HASSORUM,**  
**NINGI MÜLLERI.**

